

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria,
Historica, Critica**

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Praefatio ex editione Rutilii Lupi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1660>

P R A E F A T I O

E X E D I T I O N E

R U T I L I I L U P I

A E Q U O E T E R U D I T O

L E C T O R I.

Non Figurarum ratio, nullies in scholis decantata, sed pulcherrima maximorum Oratorum exempla, quibus intuendis imitandisque plus ad eloquentiam proficitur, quam omnium Rhetorum praeceptis cognoscendis, hanc apud nos vim habuerunt, ut, sepositis tantisper aliis, quae in lucem edere parabamus, Rutilio temporis aliquid impertiremus. Quibus exemplis multum commendationis accedit ex eo, quod non solum decerpta sunt ex oratoribus, qui magnam partem interciderunt, sed etiam de Graecis sic facta Latina, ut Rutilius cum Cicerone, quem juvenis senem videre potuit, certasse videatur. Mittimus alia libelli bona, quorum non ultimum hoc est, quod plura singularia et nusquam alibi reperiunda tradat, quam in ullo veterum librorum, tam paucis quidem paginis, tradita scimus. Sed de ipso libello dicendum accuratius. Cumque alias ejus auctor sit, alias interpres, primum de auctore, Gorgia, post de interprete, Rutilio dicamus.

A Gorgia scriptum librum esse, inscriptio docet, quae in antiquis exemplaribus haec est: *P. Rutilii Lupi Schemata dianoeas et lexeos ex Graeco Gorgiae*

5111

5 T

ver-

versæ. Immo ipse Rutilius lectores ad Gorgiam, ut
 libri auctorem, alegat, II. 12. Nec quicquam di-
 sertius et luculentius est Quinetiliani testimonio, IX,
 2. p. 437. Praeter illa vero, quae Cicero inter lu-
 mina posuit senteniarum, multa alia et idem Ruti-
 lius, Gorgiam secutus, non illum Leontinum, sed
 plūm suī temporis, cūs quatuor libros in unum suum
 transtulit, et Celsus, videlicet Rutilio accedens, po-
 suerunt schemata. Sed quis ille Gorgias, et quando
 vixit? Quinctilianus ait, illum eadem, qua Ruti-
 lium, aetate vixisse. Itaque, cognita Rutilii aetate,
 Gorgiae quoque aetas simul cognoscetur. Atqui Ru-
 tilius, ut statim demonstrabimus, sub Augusto, vel
 certe sub Tiberio vixit. Relinquitur ergo, ut Gor-
 gias sit Rhetor Atheniensis, Ciceronis filii in decla-
 mando magister, sed paulo post patris jussu ab eo
 dimissus. Cicero filius Tironi, ad Div. XVI. 21, sic
 scribit: *De Gorgia autem quod mihi scribis, erat qui-*
dem ille in quotidiana declamatione utilis; sed omnia
postpositū, dummodo praeceptis patris parerem. Διαβρή-
 θεν enim scripserat, ut eum dimitterem statim: ter-
 giversari nolui, ne mea nimia σπουδὴ suspicionem ei
 aliquam importaret, Deinde illud etiam mihi succur-
 rebat, grave esse, me de judicio patris dubitare. Di-
 missionis caussam, a Cicerone non commemorataam,
 explicat Plutarchus Ciceron. p. 873. A. Γοργίαν δὲ
 τὸν φήτορα αἰτιώμενος εἰς ἡδονὰς καὶ πότους προάγειν τὸ
 μειράκιον, ἀπελαύνει τῆς συνουσίας αὐτοῦ — τὸν μὲν Γορ-
 γίαν αὐτοῦ προτικόντως ἐπισκάπτοντος, εἴτερον δὲ Φαῦλος
 καὶ ἀκόλαστος, ἥτερ ἔδοκει. ubi pro ἐπισκάπτοντος scri-
 ben.

bendum est ἐπιθυμητος (*). Nam Cicero non irrisit Gorgiam, sed reprehendit ob mores dissolutiores. Idem Gorgias etiam *Declamationes* scripsit, quas laudat Seneca *Controv.* I. 4. p. 113. ubi N. Faber, non alium, nisi Rhetorem nostrum laudari, rectissime vidit. Ejusdem librum περὶ τῶν Ἀσθένειῶν ἔταιρον citat Athenaeus XIII. p. 567. A. 583. D. 596. F. Quanquam hic fortasse diversus a Rethore putandus est. Tale enim argumentum Grammatici tractare solebant, Rethores non item. Hactenus de Gorgia.

De Rutilii aetate non una est hominum eruditorum sententia. Frobenius in praefatione, quam Rethoribus a se editis praemisit, et Glandorpius in Onomástico, illum Quintiliani aetate floruisse dicunt. Sed utrumque deceptum esse mendosa lectione Quintiliani III. 1. p. 119. statim ostendemus. Vossius de Histor. Graec. II. 13. eum sub Nerone ponit, additque, Callinicum Sophistam, qui, Suida teste, scripsit πρὸς Λοῦπον περὶ τῆς κακοζηλίας ῥητορικῆς, librum Lupi nostri filio inscripsisse. Verum sine ullo teste Rutilium Neroni aequalem facit, et in Callinici aetate non leviter errat, ut accurate demonstravit Jonsius de Scriptor. Hist. Philos. III. 14. p. 285. Fuit tamen, cum nos quoque in Vossii sententiam prioniores essemus; cuius rei leve vestigium relictum est in annotatione nostra, p. 62. Burmannus ad Quintilian. III. 1. p. 219. in medio relinquit, Rutilius sit, an ejus filius, ad quem Divi

Fra-

[(*)] Probante Cl. Wytteneb. ad h. l. in Sel. Pr. Hist. p. 433.]

Fratres rescripserunt in *L. 6. D. de muner. et honor.*
Sed dudum animadyterat Anton. Augustinus de No-
min. Pandect. p. 364. Divos Fratres non potuisse
rescribere ad Rutilium, qui a Quinctiliano laudetur.
Rursus Burmannus ad prooem. Lib. VI. p. 497.
Rutilium eundem esse Rhetorem conjicit, cuius fi-
liam duxerit Quinctilianus. Quae conjecturae nullo
negotio refelluntur. Nam primum quis Rutilium,
quem Quinctilianus dudum ante se vixisse significat,
ad Antoninorum tempus demittat? Deinde non Ruti-
lii, sed Tutilii filiam uxorem duxit Quinctilianus.
Hicce Tutilius cum non solum Burmanno, sed aliis
etiam errorem objecerit, breviter, quis fuerit, ex-
plicemus.

Quinctiliani III. 1. p. 119. locus hic est: *Scripsit*
de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Ster-
tinius, non nihil pater Gallio: accuratius vero prio-
res Gallione Celsus et Lenas, et autalis nostrae Vir-
ginius, Plinius, Rutilius. Qui locus si mendo ca-
reret, clarum esset, Rutilium Quinctiliani aetate vi-
xisse. Enimvero Codices MSS. et editiones veteres,
quas Burmannus et Gesnerus excusserunt, etiam
MStus ex Hulstiana bibliotheca in Leidensem trans-
latus, pro *Rutilius* magno consensu legunt *Tutilius*.
Verissime. Nam Rutilio nullus potest locus esse, ubi
Rethores, qui universam artem oratoriam complexi-
sint, recensentur. Cominemorandus est inter eos, qui
partem Rhetorices, tanquam de Schematicibus, illus-
trant. Atqui inter eos commenmoratur, IX. 3. p. 455.
Haec omnia copiosius sunt executi, qui non ut par-
tem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic ope-

ri dedicaverunt; sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, aliqui non pauci. Sed non minor erit eorum, qui vivunt gloria. Quo loco, simul observari debet, rursus Quinctilianum de Rutilio loqui, tanquam aetate sua superiore. Tutilius vero nobilis Quinctiliani tempore Rhetor fuit qui quanta cum fama artem suam professus sit, intelligimus ex Martiale V. 56.

*Cui credas, Lupe, filium magistro,
Quaeris sollicitus diu, rogasque.
Omnes Grammaticosque Rhetorasque
Deyites, moneo: nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Famae Tutilium suae relinquat.*

ubi P. Scriverius etiam in Quinetiliano *Tutilius* restituit pro *Rutilius*, cuius nullam rationem a novissimis hujus Rhetoris Interpretibus habitam esse minor. Hujus Tutilii filiam cum Quinctiliano matrimonio junctam fuisse, viri docti probabili ratione colligunt ex Plinio, ita scribente Quinctiliano, VI. Ep. 32. *Quamyis et ipse sis continentissimus, et filiam tuam ita institueris, ut decebat filiam tuam, Tutilii neptem.* Quae loca tametsi in promptu fuerunt Dodwello Annal. Quinctil. §. 29. tamen non modo vitiosam Quinctiliani scripturam *Rutilius* inepte defendit, sed inde etiam Plinium corrumpit, legere tentans, *Rutilii neptem.* C. Tutilii Hostiliani, philosophi Stoici, memoriam conservat lapis apud Muratorium Inscr. p. XLII. 1. Satis de Tutilio: ad Rutilium redeamus.

Con-

Confutatis aliorum de Rutilii aetate conjecturis,
sequitur, ut sententiam nostram expromamus. Hic
autem verum esse videmus, quod poëta ait, nos sae-
pe fugientia captare, et in medio posita transvolare.
Nam viri docti Rutilii aetatem conjecturis assequi-
conati sunt: ad Quintilianum locum, qui, quando vi-
xerit, plane et perspicue docet, animum non attende-
runt. Quid, quaeso, sibi volunt illa verba jam supra
laudata: *multa alia Celsus, videlicet Rutilio accedens,*
posuit schemata? Quis dicitur alteri accedere? Nem-
pe is, qui sententiam alterius sequitur, probat.
Exempla sunt apud ipsum Quintilianum, IX. 4.
p. 457. *Itaque accedam in plerisque Ciceroni.* eod.
libro p. 482. *Neque enim accesserim Celso.* Viden-
di ejus Interpretes ad VI. 4. Vellej. Patrc. I. 8.
libenter enim his, qui itaq prodijerunt, accesserim.
Sic Davisius in Cicerone de Finib. I. 6. legebatur;
Epicurus Democrito accedit, per pauca mutans. Jam
si Celsus accessit Rutilio, necesse est, Rutilium
prius dixisse sententiam, atque adeo Celsum aetate
antecessisse. Atqui Celsum sub Tiberio et Claudio
floruisse constat. Certum igitur est, Rutilium sub
Augusto, vel Tiberio vixisse. Nihil hanc ratione li-
quidius et verius. Nec desunt alia, quae hanc ejus
aetatem egregie confirment. Modo vidimus, eum a
Quintiliano Gorgiae aequalem vocari. Atqui Gor-
gia vixit sub Ciceronis senectutem, adolescentiam
que Augusti. Alibi idem Quintilianus, IX. 3. p.
455. illum medium ponit inter Caecilium, Diony-
sium, Cornificium, quos Augusti seculo floruisse
scimus. Licet denique e scribendi genere, quod

Rutilius secutus est, argumentum pro ejus aetate ~~ca-~~
pere. Nihil hic sophisticarum argutiarum, in quibus Seneca, Plinius, et quicunque eos consecuti sunt, sibi tantopere placuerunt. Omnia simplicem et naturalem pulcritudinem habent, similem Tullianae, cuius imitandae studium aliquot locis etiam deprehendimus. De stilo Rutiliano sic judicat Barthius Advers. LV. I. p. 2575. ea Latinitas, quae nequam vulgarem, sed aero et eruditio vere Romanum scriptorem arguit. Ceterum in antiquis et libris et saxis permulti non modo *Rutilii Lupi*, sed etiam *Publii Rutilii Lupi* occurruunt, quos hic congerere nihil attinet. Apud Ciceronem frequens mentio est P. Rutilii Lupi, Tribunatu pl. et Praetura functi, et in bello civili partium Pompejanarum. Vide Manutium in Ep. ad Div. I. I. Cujus filio si quis hunc libellum tribuere velit, etsi non intercedam, nihil tamen sine idoneo teste affirmem.

Rutilius, ut Quintilianus ait, ex quatuor Gorgiae libris unum fecerat. Nunc in duos divisus reperitur. Ex quo dubitatio nata est N. Fabro ad Senec. Contr. I. 4. p. 113. sintne libri duo, quos superstites habemus, Rutilii, cuius Quintilianus meminit. Sed mox ipse hanc divisionem rectius adscribit librariis; quae etiam sententia est Fr. Rombellii de artif. dicend. p. 19. et Vossii Inst. Orat. V. 2. p. 232. et de Rhetor. nat. cap. 13. p. 341. Sed Rutilius ex quatuor libris sic unum fecit, ut illum eadem opera contraheret. Quod nos ipse docet II. 12. quid intersit, — cognoscere poteris multo diligentius ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus unius-

uniuscujusque ratio redditur. Rutiliana vero Epitome multa deinceps detraxit sive magistrorum fastidium, sive injuria temporum. Quantam illa justeturam fecerit, ex Quintiliano intelligi potest, duodecim schemata laudante, IX. 2. p. 437. quorum nullum in exemplaribus nostris vestigium reperitur. Desunt etiam illa, quae Quintilian. I. c. p. 455. habet: *Incredibile est, quod dico, sed verum.* — *Aliquis hoc semel tulit, ego bis, ego ter.* quae sunt exempla *ἀνθυποφορᾶς*. Item: *Longius erectus sum, sed redeo ad propositum.* quod est exemplum *διεξόδου*. Quae quamvis sine Rutilij mentione laudentur, tamen ex eo sumta esse, bene vidit A. Schottus ad Senec. Controv. I. 7. Negant etiam Robortellus I. c. Barthius ad Claudian. B. Gild. 398. et Gesnerus in praef. editionis suae, hunc libellum integrum ad nos pervenisse. Barthii verba haec sunt: *Libenter eo scriptore utor: ponit enim aliud agens lectas veterum sententias.* Utinam integer legendus; quae enim habemus excerpta sunt mera. Quae verba adscripsimus, ut Barthii inconstantiam notaremus. Nam qui hic bene judicat, multa libro deesse, Advers. XIII. 9. jactat, *Rutilium paucis paginis omnium fere figurarum thesaurum reclusisse.*

Verbo hic refellenda est Is. Casauboni opinio, quam prodidit annotatione, a nobis ad p. 114. relata. Scilicet vir summus existimasse videtur, Rutilium quidem Gorgiae praecepta oratoria vertisse, sed in exemplis secutum esse aliorum, quae tum ferebantur, versiones Latinas. De his versionibus egregius est locus Quintiliani X. 5. p. 521. *Vertere*

Grac-

*Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum
judicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de
Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse per-
sona frequentissime praecepit: quin etiam libros Pla-
tonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos.
Id Messalae placuit: multaque sunt ab eo scriptae ad
hunc modum orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperi-
dis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contem-
deret. Quo loco lacuna est, quanquam manifesta,
tamen a nemine animadversa. Quis enim Quintiliani
tam obliuiosum credit, ut, ubi Graecorum ora-
torum versiones recenset, exempli, quod in hoc ge-
nere perfectissimum fuit, oblitus sit, memoret Plato-
nis et Xenophontis libros a Cicerone Latine redditos,
omittat, quae memorari maxime debebant, Aeschinis
Demosthenisque orationes contrarias, ab eodem de
Graeco conuersas? Jam etsi e Quintiliano clarum est,
Graecorum oratorum Latinas versiones extisset, recte
tamen Barthius Advers. LV. 1. tum ejusdem Quintili-
ani testimonio, tum stili aequabilitate docet, Ruti-
lium nihil de illis versionibus sumisse, sed unum om-
nia Latina fecisse. Vertit autem Rutilius Graecorum
Oratorum exempla, non ut interpres, sed ut orato-
rus quam verbum verbo reddens, nisi ubi vis schema-
tis exprimenda esset. Nec aliter Graeca convertit Ci-
cero, aut Aquila Romanus Alexandrum Numenium,
aut alii alios, de quorum in vertendo licentia dispu-
tat Jac. Perizonius Diss. de Dictye Cretens. §. 10.
Cum igitur Rutilii Latina non tam verbis, quam
sententia cum Graecis convenient, fieri facile potuit,
ut aliquot Lysiæ et Demosthenis loca, quae Rutilius*

Si oculos habuerit, me inter legendum fallerent.
Superest, ut, quibus praesidiis instructi ad Rutilium recensendum accesserimus, breviter exponamus. Varietates lectionum e tribus MSS. integris, et unius parvo fragmento habemus. Primus Codex est Bibliothecae Laurentianae Mediceae in charta seculo XIV. scriptus: alter ejusdem Bibliothecae in membrana seculo XV. Fragmentum est Bibliothecae Ricardiana, manu recentiore exaratum, quod non nisi novem prioris libri paragraphos continebat. Horum Codicum variantes quam potuit fieri accuratissime excerpit Vir eruditissimus, qui cum maxime, literarum bono, Mediceas opes explicat, A. M. Bandinius. Tertii Codicis nescio cuius diversae lectiones notatae erant in margine editionis Rhenaniana, quarum mihi pro humanitate sua copiam fecit Vir celeberrimus, Abrahamus Gronovius. Enimvero non tantum boni ad Rutilium venit ex tribus Codicibus MSS. quantum ex tribus editionibus antiquis, quarum singulae cum ex diversis Codicibus ductae sint, pro totidem Codicibus haberi debent. Accidit enim, ut Rutilius uno eodemque fere tempore ter in lucem prodiret, et Editorum quisque, alterius consilium ignorans, primam se Rutilii editionem dare putaret. Primus tempore fuit Nicolaus Roscius Ferrarensis vulgo Zopinus, librarius Venetus, qui Rutilium cum Aquila Romano, e Codice, nuper, ut ait in dedicatione ad Alphonsum, Ducem Estensem, e Gallia translato, protulit Venetiis 1519. 8. Titulus hic est: *P. Rutilius et Aliqua Romanus, antiquissimi au-*

ctores. Alexander Perusinus ad lectores: Accipe, carissime lector, hos libellos vere aureos. Quidam sint, eorum brevitas demonstrabit. Hoc unum praeteriri nolo, Quintilianum, ubi agit de figuris, sine his auctoribus minime intelligi posse. Biennio post Beatus Rhenanus, vir natus scriptoribus antiquis in lucem vindicandis, vel Joannes Frobenius, Rutilium edidit cum Aquila Romano, Julio Rufiniano, Sulpicio Victore, aliisque Rhetoribus Basileae 1521. 4. Frobenius in praefatione ait, se Codicem, quem expressisset, vetustum illum quidem, sed prodigiosis mendis depravatum, a Beato Rhenano e Spirensi Bibliotheca accepisse. Vel sic tamen hanc editionem ceteris preferendam esse, lectionibus inter se comparandis cognovi. Rhenani editionem repetiit Badius Ascensius Parisiis 1528. 4. quam Fabricius Bibl. Lat. T. I. p. 799. confundit cum Stephaniana, de qua mox dicemus. Ascensionam Parisiis in Bibliotheca Regia vidiimus, sed non excussimus, quod nullum dum consilium inieramus Rhetorum ornandorum. Memoram vero repetitionem Rhenaniae esse, inde concicimus, quod non solum iidem Rethores, sed eodem etiam ordine, quo in illa sunt, exhibentur. Rhenaniam editionem excepit Aldina Venetiis 1523. forma maxima, quae praeter Rutilium et Aquilam habet Chirium Fortunatianum, Prisciani exercitamenta, et rhetorica Aristotelis, Aphthonii, Georgii Trapenzuntii, etc. sed caret Julio Rufiniano, quem Fabricius Bibl. Lat. T. III. p. 755. per errorem scribit, illa contineri. Verum etsi tres primariae editiones e

otidem Codicibus ductae sint, tamen, si res ex vero aestimetur, et ipsae, et tres Codices, quos paucio ante recensuimus, non nisi unius Codicis vim et auctoritatem habent. Nam omnes ex uno exemplo fluxisse, planissime appetet non solum ex consensu in locis depravatis, sed multo magis ex lacuna I. 6. p. 21. quae in omnibus sine ulla varietate reperitur.

Adhuc Rutilius mendis quidem contaminatus prodierat, veruntamen ad librorum scriptorum fidem expressus. Sed mox ex officina ea, qua nulla veteres libros religiosius tractare solebat, tam deformatus existit, ut Rutilium in Rutilio quaereres. Scilicet Robertus Stephanus Rutilium una cum Aquila Romano et Julio Rufiniano elegantissimis formis excudit Parisiis 1530. 4. (alia exempla praeserunt annum 1541.) Praefatio Stephani magnificam habet promissionem: *Usi amicorum opera, Rutilium ita restituendum curavimus, ut praeter duo loca integrum cum dare nos confidamus.* Verum quisquis tandem est, cui Stephanus editionis curam delegarit, non boni viri fide cum Stephano egit, sed ingenio et doctrina, qua hominem valuisse pluribus documentis patet, abusus est ad Rutilium, ejusque comites, Aquilam et Rufinianum, foedissime lacerandos et interpolandos. Eatum erat de R. Stephani cura, fide, religione opinio, ut nemo unus dubitaret, quin integer demum Rutilius ex ejus officina prodiisset. Itaque ex eodem tempore omnes non aliud, nisi Stephani exemplar, quod emendatissimum putarent, sibi exprimendum sumserunt. Ex Stephaniano eosdem Rhetores, vix

ver-

verbo mutato, primus repetit Seb. Gryphius ^{Lugduni} 1536. 8. (alia exempla habent a. 1542.) Gryphianam editionem expressit Lovaniensis 1551. 8. Has editiones omnes nosmet ipsi vidimus, et diligenter inter se contulimus. Sed nulla nobis copia fuit Aldinae 1533. 8. et Argentoratensis 1539. 8. vel Fabricio memoratarum. De quibus tamen dubitamus, dum nobis contigerit illas oculis usurpare.

Sub finem ejus seculi Franciscus Pithoeus Rutiliū, et quotquot reperire potuit Rethores minores, in unum volumen conjectit, prodiditque Parisiis 1599.
4. Auctor præfationis narrat, Pithoeum quidem Rethores e vetustissimis optimisque Codd. innumeris locis auxisse et emendasse, sed typographos opus multis mendis inquinasse; immo autographa Pithoeana tam negligenter habuisse, ut inter eorum manus perirent. Quod de autographorū jactura dicit, in medio relinquo. Reliqua falso jactari, rebus ipsis deprehendi. Nam tantum abest, ut Pithoeus libris MSS. usus sit, ut ne veteres quidem editiones ad tres Rethores, quos diximus, eastigandos adhibuerit, praeter Aldinam, cuius opera meliora fecit. Si quid præterea novae electionis inductum est, non e libris venit, sed e conjectura. Vitiosam editionem esse, non negarim. Sed operae nihil aliud, nisi superiorum editionum vitia repetierunt. Pithoeus potius accusandus est, qui, cum in manibus haberet integræ fidei exemplaria, tamen operis exscribendam dederit editionem Stephanianam turpissime interpolatam. Barthius

ad

ad Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. 21. Pithoeo fidem tribuit, qua etiam vitiosas librorum suorum lectiones expresserit: sed Advers. LI. 1. in eodem fidem desiderat, ejusque editionem sine notis et adjectis mutationum rationibus pro manca habet. Sic ille secum pugnare solet.

Multo meliorem Pithoeana Rhetorum editionem, si vita suppeditasset, datus fuisset eximius ille Gronoviana discipline alumnus, Joannes Schultingius, quem hoc consilium agitasse, Graevius scribit Heinso, Syllog. Epistol. T. IV. p. 46.

Ex eo tempore nemo extitit, qui in Rhetoribus castigandis aliquid studii poneret ante Jo. Matthiam Gesnerum, Germaniae decus, qui Rutilium, Aquilam et Rufinianum ex Pithoeana recensione subjecit *Primis lineis artis oratoriae*, Jenae 1745. 8. adspersis nonnullis emendationibus, quas in editionem nostram recepimus.

Novissime Argentorati 1756. 4. Rethores Pithoeani repetiti sunt cum notis Claudii Capperonnerii, editionem curante Phil. Christiano Rangio, qui etiam editiones Rhenanianam et Aldinam, quanquam negligenter, contulit, et conjecturas in Rutilium et Aquilam, quas vir quidam egregie doctus in margine editionis Rhenan. notarat, adjecit.

Initio constitueramus uni Rutilio hanc operam navare. Nam Aquilam et Rufinianum, quos propter argumenti similitudinem Stephanus, Gesnerus, et alii Rutilio junxerant, non satis dignos, qui cum eo jungentur, judicabamus. Verum cum cogitare coe-

pissemus, utrumque parem cum Rutilio sortem in Stephaniana officina subiisse, mutato consilio, eos quoque ad antiquarum editionum fidem restituimus, Aquilam ad Venetam, Rhenanianam et Aldinam, Rufinianum ad solam Rhenanianam. In his recensendis nulla nobis a libris scriptis subsidia fuerunt; nec tanti videbatur, illa, cum nostra et amicorum molestia, conquerere.

Aquilam, diximus p. 140. inferiorem esse tempore Antoninorum. Nunc addimus, eum superiorem esse aeo Constantini. Nam laudatur a Julio Rufiniano, qui sub Constantino vixit. Itaque multum fallitur Jac. Nic. Loënsis Epiphyl. III. 16. qui eum credit Maecenatis esse libertum, Aquilam, qui, tanquam Notarum auctor commemoratur a Dione Cass. LV. 7. et Isidoro Orig. I. 21. *Orthographiam* Aquila^e laudat Cassiodorus de *Orthograph.* p. 619.

Julii Rufiniani mentionem nusquam invenimus, nisi in inscriptione veteri apud Massejum Veron. illustrat. Part. I. p. 360. n. XL. et Muratorium Inscr. p. MXIX. 2. quae, quoniam et patris et filii memoriam praecclare illustrat, integra subjicienda videatur;

TATIANI

C. IVLIO RUFINIANO

AB LABIO TATIANO C. V. RUVI

NIANI, ORATORIS FILIO FISCI PA

TRONO RATIONVM SVMMARVM

ADELECTO INTER CONSVLARES IVDI

CIO DIVI CONSTANTINI LEGATO PRO

VINCIAE ASIAE CORRECTORI TVSCIAE

ET VMBRIAEC CONSVLARI AE

MILiae ET LIGVRIAE PONTIFICI

VESTAE MÁTRIS ET IN COLLE

GIO PONTIFICVM PROMA

GISTRO SACERDOTI HER

CVLIS CONSVLARI CAM

PANIAE HVIC ORDO SPLEN

DIDISSIMVS ET POPVLVS

ABELLINATIVM OB INSIGNEM

ERGA SE BENIVOLENTIAM ET RELI

GIONEM ET INTEGRITATEM EIVS STATVAM

CONLOCANDAM CENSVIT.

Ex hoc monumento Rufiniani cum aetatem, tum professionem intelligimus. *Orator* accipiens est rhetor ex cadentis Latinitatis consuetudine. Tres Titiani rhetores *oratores* vocantur a Capitolino Maximin. Jun. 1. Cassiodor. de Instit. div. liter. 25. et in marmore apud Fabrett. p. 208. et 700. Endelechius, qui et ipse rhetor fuit, *orator* in subscriptione, quam in Taciti et Apuleji Cod. Florentino reperit Pichena, in Apuleji Cod. Vatic. Sirmondus ad Sidon. Apollin. IV. 8. Felix item *orator*

in subscriptione Codd. Horatii, quam protulit Bentlejus praef. ad Horat. p. 6. Arusiani Messii *Elocutionum exempla* hunc titulum preferunt: *Arusiani Messii V. C. Or. Comitis primi ordinis Quadriga*, etc. ubi *Or.* non in Gr. mutandum, ut sit *Grammatici*, sed explicandum *Oratoris*, ut Donatus in titulo Scholiorum in Terentium dicitur *V. C. Orator Urbis Romae*. Ex JCtis hujus significationis exempla dedit A. Augustinus ad Modestin. s. de *Excus.* p. 1571. Sunt quidem duo Ciceronis loca, Acad. I. 2. et de *Orat.* III. 21. ubi *orator* pro *rhetore* dicatur. Sed cum facilis in his vocibus librariorum lapsus fuerit, assentiar Zach. Pearcio, illa loca ad melioris aetatis normam castiganti. Vide eundem ad I. de *Orat.* 62.

Reliqua hujus marmoris, etsi non ad patrem Rufianum, sed ad filium pertineant, tamen paucis emendare et illustrare nihil vetat. Prima vox **TATIANI** tollenda videtur: quam quadratarius, per errorem sculptam, reliquit, ne marmor deformaret.

RATIONVM SVMMARVM dicitur, qui *Rationalis summarum* in Notitia Dignitatum, et L. 7. Cod. Theodos. de jure fisci, T. III. p. 413. ubi vid. Jac. Gothofredum. Sic servi, qui rationes summae rei curabant, simpliciter *summarum* dicuntur, ut *primarum* et *secundarum*, actores partium primarum et secundarum. Lapis apud Murator. p. MCCCCCLXXXVIII. 4.

PATROCLO SVMMARVM

VLPIVS PRISCVS

ANIMAE MERENTI.

Quem

Quem Genitivum exemplis illustrat Hagenbuchius
Epist. Epigraph. p. 523.

CONSULARI AEMILIAE ET LIGVRIAEC. Ex hoc loco emendanda est inscriptio utriusque Codicis, Theodosiani et Justinianei. L. 1. Cod. Theod. de Ventigal. T. I. p. 421. sic inscribitur: *Imp. Constantinus A. ad Junium Rufinum, Consularem Aemiliae.* L. 4. Cod. Just. eod. tit. *Imp. Constantinus A. ad Rufum,* vel, ut MSS. quidam, *ad Julium.* Scribendum ex marmoris fide: *Imp. Constantinus A. ad Julium Rufinianum.* et praeterea in Cod. Theod. plenius legendum: *Consularem Aemiliae et Liguriaec.* praelestim cum Anianus etiam in exemplo suo legerit *et Liguriaec,* probante Gothofredo.

CONSULARI CAMPANIAE — POPVLVS ABELLINATIVM. Ex L. 68. Cod. Theod. de Decurion. T. IV. p. 442. etiam patet, Abellinatum civitatem fuisse sub Consulari Campaniae. Vide ibi Gothofredum.

Historia critica Oratorum Graecorum, quam Rutilio praemisimus, quomodo nata sit, et quo consilio scripta, suo loco dicetur. Tu, Lector, his fruere, et vale. — Ao. MDCCLXVIII.